AMPLISSIMO CLARISSIMOQVE VIRO DOMINO D. DVRET ARCHIATRO REGIO, REGIÆQVE MAIESTATIS CONSILIARIO PETRVS GIRARDET. Ἀθανασίαν.

PRæclarè, vt cætera Naturæ Genius & interpres, Vir Amplissime, τὸ μικρὸν παρεκβῆναι τῆς ἀληθείας ἀφισαμένοις γίνεται πόῤῥω μυριοπλάσιον, siquidem paruus error in principio magnus est in fine, sed præsertim apud peritissimos quosque Architectos, quorum permagni interest, quã firma in excitandis ædificijs iecisse fundamẽta, quàm dum adhibent cautionem, externis temporum prouident iniurijs & irruentium tempestatum procellis diutiùs, vt obsistant minùsque iactentur, efficiunt. Altiùs itidem fodienti mihi solidus tandem & immobilis tophus occuristi, cui collecta hæc è Medicis castris rudera firmiùs innitentur: Patere illa adamantino tuo solo fundari, & in nouam a me structuram coagmentari concinnarique: Loci situs duplici commodo iucundè opportunus, Orientem quippe Occidentemque solem perpetuò tuetur, & triplici obuallatus rupe ingruẽtes hostiũ impetus facillime propulsat, quin & frãgit: Tui quidẽ iuris fundus est, fateor; hoc etiam qualecumque erit ædificium proprium te, a quo vno pendeat, Dominum agnoscet fideliter, & reuerebitur obsequenter: Ego vero feudatarius in sempiternum obseruantiæ in te meæ pignus, vt heliotropium tuum ad Solem, ita ad te meum orbitam iugiter conuertar: Faue igitur cœptis, & miraberis ea cubitis adolescere, vt quæ procellæ euersurum minitantur, tuo aspirante fauonio velut adamantino nexu solidentur. Vale.

585

AD QVODLIBETARIAM QVÆSTIO MEDICA MATVTINIS DISPVTATIONIB. AGITANDA IN SCHOLIS MEDICORVM. DIE MARTIS XVIII. DEC. M. PENA DOCTORE MEDICO MODERATORE PRVDENTISSIMO.

An Sanguis putrens in alios degeneret humores.

MIcrocosmus, artis nobilissimę subiectum, & audacis Naturæ stupendum opificium, mutuis elementorum copulis, mutuâ ab inuicem dissidentium in vno, pace & amore coaluit; vnde emersit ceu ex Orphei fidibus ad iustitiam concentus symmetricus ὁ εὐκρατώτατος, cæteris Policleti regula; a quo vt a Recto infinitis fit modis recessus, octo tamen notioribus δυσκρατοις. Quò intemperatiùs, eò & infœliciùs & breuiùs viuitur: Vt nimium omne, vitæ sigillum dissoluit, sic iustâ temperie eius crasis conseruatur; hac legis æternæ serie; vt a simplicibus ad mixta, a mixtis ad alimenta, ab his ad humores vno climate, sed variis coquendi gradibus adiuta natura pergat; qui primo albentis chyli formâ in ventriculo, mox in viscere αἱματοποιητικῷ excellenti caloris gradu ex candore in amœnam rubedinem exaltantur: illic sollicita mater radios natiui solis incendit, & vires omnium facultatum colligit, vt exquisitissimũ corporis & animæ cibum conficiat, sanguinis massam spiritu naturali perfusam; viuentis manna, virtutis fulcrum: quo veluti Æsonis poculo naturæ robur reparatur, & in suaues luces vita promouetur.

AT nusquam syncerus humor, confusos orbe suo concludit alios humores, nutritios, condiendo & integrando vitę liquori conferentes: vbi sanguis, in quem domus inclinata recumbit, alimenti, bilis condimenti, phlegma temperamenti, terra fundamenti; spiritus vehiculi, munus obeunt: Naturæ hæc sapientia, quæ saporatam hanc Miscellam confecit, ibi elementa, alimenta, humores, ibi veluti in mundi chaos omnia. Quod vero valde temperatum, ad corruptelam valde procliue; sæpius deprauatur: In intrinseco a pugnantibus qualitatum spiculis, quarum victrix inuadit tyrannidem, & craseos vinculum crudeliter diuellit. Ab extrinseco cœlum & terra, elementa & alimenta, & omnia velut agmine facto temperiem turbant & frangunt.

NEc refert an hepar communis omnium humorum sit opifex, nihillominus hujus mutationis atque dissidii non raro est author, *Et valet vnanimes armare in prælia fratres.* Imis præcluduntur ergastulis excernenda, quorum morâ putredo concipitur, & vt ira recidat in irę ministrum, contagio viscus impetitur. Inclusus liquor excluso ætherei spiritus commercio, viuifici solis radio, roris influentis fœcunditate, putrescit; vt aqua a suo fonte seiecta, stirps a radice natiua præcisa; in aliam migrat sortem, peregrinæ vtriusque bilis, spurię, turpis, quæ seu stilla venenati Draconis reliquum sanguinem inficit, deturpat, & germanam ei naturam adimit. Hepar exustum humores exurit, a radice infecta infecti ramuli, propagatur a fonte virus, & per sibi confinem serpit propaginem, Quam nisi principio φλεβοτομία tum κάθαρσις omnibus illâ modis posterior cacochymiam sustulerint, hinc omnium febrium, hinc frigidorum morborum βλαστήματα disseminantur, hinc tanquam ex equo Troiano toti Microcosmo omnium pene malorum fœtura & ilias.

VT Prothei non vnus sed variis pigmentis mutabilis aspectus; ita humoris, vt variè putret; huic vitreus, alij æruginosus, multis cinericius, cæteris variegato secundum humoris morum & mutationem vultu, venusto, turpi, flauo, cæruleo. Non vnum omnium elementum, nec vna omnium temperies: Vates afflata, quę nudo vestigio prunas calcat; quæ ad aerẽ; ad ecstasim; ad spasmos formidabiles; quæ opaca, quę sepulchra, quę Erebũ, quę Lunã, quę nigra omnia: nigro, squallido, turpi: Furens Hercules; qui incendia & iras, qui furit ense, qui heroïca tentat, atro & igneo. Lucullus qui iocos & veneres, qui musica, qui venusta omnia, viuido & sanguineo: mixtio, mutatio, motus, varia, imo ad vsque miraculum pariunt. Vstus & ater in supremo si neruosum tangat, & rationis sedem, diuinos morbos: Aqueus & torpens si exhuberet ad menses sex, imo fortè ad annos somnum & alimoniã suppeditabit (fabulosum quod Epimenides ad quinquaginta,) sat est si leuior fauilla in multo phlegmate subluceat, ita solet variè verus humor degenerare.

NAtura quæ fluit non stat diu in puncto, nutat, mutatur, sæpius natiuam sortem exuit: temperies nusquam fixa, firma; vbi hodie sanguinis imperium, ibi cras sæuissimæ bilis tyrannis: humorum cum elementis nota sympathia: vt in his facilis cuiuslibet alterius in quodlibet alterum μετάπτωσις, sic humoris in humorem: Aqua fit limus, fit aër, vinum acetum, sanguis pituita, quod a se desciscit & corrumpitur naturam magis amicam sibique proximiorem amplectitur: At sanguini nihil vicinius, quam sibi connati & germano nexu adhærentes humores.

Ergo sanguis putrens in alios degenerat humores. 32

Proponebat Lutetiæ PETRVS GIRARDET Lugdunisalinensis. Anno R. S. H. M. DC. XVIII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Robertus Tulou — *M. Dionisius le Sa…* — *M. Iacobus Cousinot*